

ELEGIA I.

E_1 v.1 Ergone ventosum classis transvecta per aequor
 2 ibit in Ausonias perfidiosa plagas ?
 3 Ergo et jam thalamis illuserit advena nostris,
 4 advena vix turpi lapsus ad igne fuga ?
 5 Advena, quem toties indignans expuit aequor,
 6 credula cui Regni sceptrata gerenda dedi ?
 7 Ille feret nostrum peregrina per oppida nomen,
 8 exuviisque meis ibit onusta ratis ?
 9 Parce aquilo, rogo parce rati, vehit illa pudorem,
 10 qua bene femineus mercede superbit honor.
 11 Dum spoliis pretiosa meis secat aequora navis,
 12 deprecor ah tantae classica rauca rati.
 13 Non freta Peliacae proscindit filia silvae,
 14 nec gerit incurvo vellera rapta sinu.
 15 Dardana nat classis, classis pudor abditus alveo
 16 navigat, heu furis praeda superba Phrygis.
 17 Forte tumescentes, Latio frustrata, per undas
 18 si cadet irato percita cymba salo :
 19 qua meus ah quondam pudor irritus enatet alno,
 20 ne meliore mei naufraga parte cadam ?
 21 Manibus et quondam querulis novus exprobet hospes,
 22 hic tuus, o Dido, naufragus ivit honor.
 23 Quid loquor heu demens, aut qua spe perdita notior,
 24 votaue cur odiis narro pudenda meis ?
 25 Carbasa nonne vides gravidantibus incita flabris ?
 26 Illa tuae, Dido, sunt monumenta necis.
 27 Illa fluunt, refluntque tui vexilla pudoris,
 28 transfuga quem ficto diruit ore latro.
 29 Improba perfidiae suspendunt signa rudentes,
 30 quaeque vehit navem, devehit unda fidem.
 31 Sic qui Cecropio tulerat stipendia tauro,
 32 illusit thalamis, Regia Nata, tuis ;
 33 et devota domum retulit perjuriam navis,
 34 altaque ab antennis linthea furva tulit.
 35 Quaeque tremunt rapti miseranda trophaea pudoris,
 36 praeludunt fati, prodita Nupta, tuis.
 37 Externata malo sed non frustra obstrepis auris,
 38 frigidulosque cives voce tremente sonos.
 39 Scilicet ut lentos incurvat gurgite remos
 40 Theseus, et ventis carbasa feta tument :
 41 lumina perpetuis absumens fletibus Aegeus

42 despicit optatae vela timenda ratis ;
43 et formidatum Nati in sua funera funus
44 provocat, et verum falsa pericla creant.
45 Ulta tuum saltem cecidisti Ariadna pudorem,
46 aversaque preces non bibit aure Deus.
47 Quasque tuis lacrimas negat ossibus impius hospes,
48 has, licet invitus, Patre cadente dabit.
49 Nec Pater infandum qui dedecus hauriat olim
50 ex Ariadne fure superstes erit.
51 At meus incolumis jam navibus imbuit aequor
52 hostis, et e nostro litore victor abit.
53 Ergo ne Didonis statuet vexilla subactae
54 improbis, et Latios cernet inultus agros ?
55 Dicar ego extincti lectum temerasse Sichaei ?
56 Dicar ? Ut heu nostris rideat ille probris ?
57 Dicar, ut Ausoniae narrantis pendulae ab ore
58 illudant tacitae crimina tanta Nurus ?
59 Aestuet ah potius convulsa per aequora classis,
60 et fera perjuros obruat unda Phryges.
61 Naufragium quid inane meo formido pudori ?
62 Jam periit scopulo, quo perit acta fides.
63 O quoties scopulum tepido suspiria vento,
64 et fletus quoties contudit unda mei.
65 Efferus ille tamen veluti Marpesia cautes
66 perstitit in rabidis imperiosus aquis :
67 Ille gerit cautes scopulosque in corde latentes,
68 qui potuit lacrimis non lacrimare meis.
69 Caecus amor fratrem, non implacabile saxum
70 credidit, et nostrum per mare rexit iter.
71 Protinus allisus periit pudor impete vasto,
72 naufraga cum socio est vincta pudore fides.
73 Ergo nihil superest, furialia classica venti
74 sumite, contorto turbine tela fremant.
75 Quid magis exoptem, ut sceleris vestigia nostri
76 non relegat serus post mea fata Nepos ?
77 In media scribantur aqua, fractisque carinis
78 fluctuet instabili littera ducta salo :
79 littera sed quid erit ? Miserae vestigia flammae,
80 quae statuet medio fracta carina mari.
81 Monstrum ingens fax scripta in aquis : dabit unda litura,
82 nec feret aeternas per vada salsa faces.
83 Ergo Aquilo freta contorque, maris unda dehiscat,
84 rursus et impatiens sidera ad alta volet ;
85 si tuus adversis solitus concurrere ventis,
86 Montis et impositi frangere claustra furor,
87 nescit in Aeneam rapidis saevire procellis,
88 si mare mulctantes volvere nescit aquas :
89 suspirans cor ventorum auxiliare tributum
90 pendit, et ex oculis fluctuat unda meis.
91 Haec pontum sternet, calidis suspiria flabris
92 Ponti concutient aequora fusa oculis.
93 Naviget haec Praedo, sed amantibus obrutus undis
94 moribus inficiet dulcia fata suis.
95 Forsitan, aut fallor, lacrimis animabo carinas,
96 errabitque meo Troica Nympha lacu.
97 Aut potius Siren maestum queribunda per aequor

98 conciet in lacrimas corda proterva Phrygis.
 99 Decipior, tempusque tero, tibi Dardane Praedo,
 100 imprecor, irati ventus, et unda ruant.
 101 Mox ubi concidero violato sancta pudori
 102 victima, et abluerit probra nefanda cruor ;
 103 ipsa ultrix adero, laeso furibundus ab ore
 104 spiritus expirans perfida lina ruet ;
 105 pectus et iratos jaciens e vulnere fluctus
 106 obruet ultori Troica ligna freto.
 107 Ipsa ultrix adero ; vivoque sub aequore vivens
 108 Scylla ferox Phrygibus, vasta Carybdis ero.

ELEGIA II.

E_2 v.1 Sancte pudor, pudor heu facibus temerare maritis,
 2 quas male nubenti sustulit alter Hymen,
 3 accipe quae fundit tibi verba novissima Dido,
 4 dum parat inferias sanguinolenta suas.
 5 Parce, precor, saltem moriturae, parce luenti
 6 morte quod admisit vita pudenda nefas.
 7 Sat vixi, dum vita fuit sociata pudori,
 8 altera ab alterius nescit abesse sinu.
 9 Victima debuerat tibi jam cecidisse libido,
 10 floreret fato vita pudorque pari.
 11 Tu, Numen, pectus templum, cor sancta fuisset
 12 ara, rubor ferrum, funeris auctor honor.
 13 Me miseram, non ara sacris, ast area bello
 14 cor fuit, et validas sensit in arma manus.
 15 Sensit et antiquo dejectum culmine Regem,
 16 et non legitimi Principis arma tulit.
 17 Scilicet in solio cordis pudor arduus olim
 18 constitit, et rexit regna pudicitiae :
 19 casta verecundas pingebat purpura malas,
 20 cingere quae solita est regia membra clamys ;
 21 alba coronatos mordebant lilia crines,
 22 famae lecta manu consita honoris agro.
 23 Si qua meas fureret per venas flamma rebelles,
 24 compressit princeps bella proterva pudor.
 25 At postquam edomuit jam bella domestica sceptris,
 26 munit ab hostili moenia prima metu.
 27 Et regni fines rigido custode tuetus,
 28 ne via finitimis hostibus ulla foret :
 29 inde oculos locat in speculis, pro moenibus aures,
 30 clausa hosti ut servent hostia pervigiles.
 31 Arcem quique fremit debellaturus Iarbas
 32 miscuit incassum viribus ille dolos.
 33 Si loquitur, vox victa cadit ; si blandius orat,
 34 frustra orat, frustra congerit arte minas.
 35 Si lacrimat (lacrimae quid non potuistis amantum ?)
 36 labitur e cupidis irrita gutta oculis.
 37 Praeteriti decus altum aevi, stant castra pudoris,
 38 nec tremefacta minis, nec temerata prece.
 39 Sed quid non cernat quamvis sine luce cupido ?

40 Et quid non possit sit licet ille puer ?
41 Argus ad exitium, validusque ad damna Typhoeus
42 et videt, et vincit regna Pudoris Amor.
43 Ille aditus cordis molles speculator oberrat,
44 metitur vires, ingeniumque loci.
45 Et qua prona patent Hymenaeo castra pudico,
46 admovet innocuas, et sine fraude manus.
47 Tros venit Aeneas, terris agitatus, et undis,
48 errantesque gerit dura per arma Deos.
49 Excipitur, Priamique necem, Trojamque labantem
50 narrat, et uxoris facta gemenda suae.
51 Nuntia tum pietas inimici dulcis amoris
52 arietat ignota corda pudica face.
53 Et licet obstaret primi reverentia lecti,
54 attamen ignaro in pectore vulnus alo.
55 Si gemit ille, gemo ; queritur si crimina Graium
56 ipsa etiam Graium crimina tanta queror.
57 Suspirat, nostro rumpunt suspiria corde ;
58 si lacrimat, lacrimis proluo maesta genas.
59 Si rogat Anchisem, Anchisem mea vota fatigans ;
60 si dolet erepta conjuge, Elisa dolet.
61 Si furit in Danaos, Danaos ego vulnere figo ;
62 sanguineus spargit tela, cruentor ego.
63 Dedisco propios, alienos disco furores,
64 femina femineo grandior ingenio.
65 Tum, cor amat, dixi, sunt haec vestigia amoris,
66 ille sua alternat callidus arte vices.
67 Protinus ingenuum suffundo per ora ruborem,
68 pristinaque in pavido pectore bella novo.
69 Anna sed (insano soror heu crudelior hoste)
70 ventilat indomitas corde micante faces.
71 Illa meo primum dejecit ab ore ruborem,
72 hostibus illa prior credula stravit iter.
73 Deduxit tacitis Hymenaeum passibus Anna,
74 improbus at rabidi frater amoris erat.
75 Anna soror, soror Anna meis cur hostibus arcem
76 prodis, et heu foedus seditione feris ?
77 Quas clades miseranda gemes, quae fata sororis,
78 ut tua foedabis unguibus ora soror !
79 Sensit et hoc caelum, lacrimasque effudit in auras,
80 suffit et atrato sole meare diem.
81 O utinam subitam traxissent antra ruinam,
82 cum nos imbriferens egit in antra furor.
83 Victima regnanti cecidisset casta pudori,
84 victima divinis invidiosa focus.
85 Aut mecum sceleris jam fama sepulta jaceret,
86 obrutaque ingenti pondere tuta forem.
87 Diis aliter visum. Regno te trudit avito,
88 sancte Pudor, flammis imperiosus Amor.
89 Tu fugis, et fugiens disjecta per arva susurros
90 mille seris, nostrum pendis ubique scelus.
91 Ah ! tandem jam pone modum, jam parce querelis,
92 sufficiat vultus immaduisse meos.
93 Si fremis, ultores jamdudum et concipis enses,
94 si sedanda meo est longa cruore sitis,
95 mortem , opto ; mortemque dabit mea dextera, crede,

96 heu quid ago ? Ah potius confice corda pudor.
 97 Laete pudor, miserae ferrum tu sufficis unus,
 98 et durae causam mortis inermis habes.
 99 Sed propria cadat usa manu maestissima Dido,
 100 vindicet ut propria crimina dira manu.
 101 Illa tuo interimat regnantem in corde Tyrannum,
 102 et pereat tantis dives ab exuviis.
 103 Ibo, ibo, ferroque meum rimabor Amorem,
 104 quis scit an et ferro Numina victa cadant ?
 105 Te, quodcumque meo sedes in corde superbas
 106 numen habes, Dido sanguinolenta vocat.
 107 In tumulum solium vertens, in funera regnum,
 108 victrix victoris vivet in exequiis.
 109 At tu, sancte pudor, nostro jam pascere fato,
 110 dum lavat effusus probra nefanda cruor.

ELEGIA III.

E_3 v.1 Ite animae pars magna meae suspiria cordis,
 2 ite per Elysias irrequieta plagas.
 3 Ite, meas narrate faces, narrate dolores,
 4 aurae vicini funeris ite duces.
 5 Est nemus umbriferum miserorum carcer amantum,
 6 silva quod obliquo myrtea crine secat.
 7 Alpheus querulis hanc praeterlabitur undis,
 8 semper et irati flumina fontis amat.
 9 Narcissus vitreo se spectat amator in amne,
 10 et quibus ah ! periit, crescere discit aquis.
 11 Errabunda colit latebras resonabilis Echo,
 12 reddit et incerto credita verba sono.
 13 Forte per umbrosam curarum examina silvam
 14 conjugis heu miseri flebilis umbra trahet.
 15 Ite animae pars magna meae suspiria cordis,
 16 ite per Elysias irrequieta plagas.
 17 Quis scit an occurrat secreto in calle Sichaeus
 18 squallidus, et fratris vulnera nota gerens ?
 19 Si non occurreret, querulos impellite ramos,
 20 maestaque frondosis ingemat aura comis.
 21 Protinus agnoscet legatam conjugis auram,
 22 protinus excipiet fervida flabra sinu.
 23 Si non excipiet, lymphas tum fontis amantes
 24 consulite, et tremulas fluminis ite vias.
 25 O te sic numquam fugiens Arethusa sequacem
 26 frigeret ardentes pectoris amne rogos.
 27 Atque faces in aquis proprio non igne calentes
 28 mitiget haud propriis fons fugitivus aquis.
 29 Qua meus (ah ! conjux quondam meus) arva pererret,
 30 quae colat ah silvae myrtea tecta, doce.
 31 Ne suspirantis soboles temeraria cordis
 32 pervolet incassum vestra per arva diu.
 33 Sic ego cum nostri sub terras ibit imago,
 34 hospita cum silvas, et nemora alta colam,
 35 grata seram fluvio lacrimis vectigal aquarum,

36 et tuus e nostro flumine crescet honor.
37 Ite animae pars magna meae suspiria cordis,
38 ite per Elysias irrequieta plagas.
39 Oscula Narcisso jubeo libetis odora,
40 ille mei forsán noverit arva viri.
41 Aurae lucentes, aurae sociate susurros,
42 et floris foveant murmura vestra comas.
43 Qua meus erret amor silvae per opaca, docebit,
44 monstrabitque viam, qua meus erret amor.
45 Se sic inventum inveniat, teneatque tenentem,
46 sic se possideat semper amatus amans.
47 Ite animae pars magna meae suspiria cordis,
48 ite per Elysias irrequieta plagas ;
49 sed melius poterit vocalis Nympha Sichaeum
50 prodere, per virides illa vocatur agros.
51 Ipsam ergo inclament vestri, o suspiria, venti,
52 illa imperfectos reddet amica modos.
53 Myrtea, dicetis, num tecta Sichaeus oberrat,
54 errat, inexploto fabitur illa sono.
55 Sed quo carpit iter, vel qua nos tendimus illac ?
56 Hac, referet dubiae conscia virgo viae.
57 Conjugis anne gemit forte immemor ? Ast memor Echo
58 dicet, nam semper vixit amantis amans.
59 Possumus affari ? Fari ingeminabit et Echo,
60 num plorare licet ? Reddet et ipsa, licet.
61 Sed quae causa simul cur non coeamus ? Eamus,
62 vox referat vestrae dux prope facta viae.
63 Ite animae pars magna meae suspiria cordis,
64 ite per Elysias irrequieta plagas.
65 Scilicet ah maesti volitate per ora Sichaei,
66 et fugientem animam ferte sub ora viri.
67 Dicite, jam jam aderit Dido tua, plena pudoris,
68 occidet heu ! propriae vulnere fixa manus.
69 Audivit sonitum sacrata ex aede vocantis,
70 jamque venit sceleris tarda pudore sui.
71 Erravit, fassa est crimen ; sed idoneus auctor
72 decipiens noxae detrahit invidiam.
73 Adde fidem Aeneae, fuerit qua parte pigendus,
74 errandum fuerit, error honestus erit.
75 Quid juvat, heu demens, scelus excusare nefandum,
76 quidve latere cupis crimina laese pudor ?
77 Erravi, erravi, nulla est erroris honestas,
78 conjugis ah ! poenas exige lente dolor.
79 Erravi, laesus pudor est, laesusque Sichaeus :
80 erravi, et sanctum prodidi iniqua torum.
81 Ipse rubor frustra malis jam multus inerrans
82 sanguine funestum scribit in ore nefas.
83 Olim abiit pulsus, traxitque ad corda cruorem,
84 ut mage sanguineo in corde caleret amor ;
85 nunc redit in vultus cordisque cubilia linquit,
86 ut demum incipiant frigida corda mori.
87 Frigida corda mori multo sine sanguine nollem ;
88 sanguis abi, et cordis perflue castra mei.
89 Jam ferro veniam cordis bibitura cruorem,
90 abluet expressus arma sinusque liquor.
91 Erravi, o furias male sana in mente rebelles,

92 erravi, o caecas pectoris usque faces.
93 Prodere ten potui thalami comitemque laborum,
94 optaram quondam quo moriente mori ?
95 Ferret ut in terras alieno sole calentes
96 probra, peregrinis perfidus hospes aquis ?
97 Ten potui Phrygio ten posthabuisse latroni ?
98 Hostis pro quo etiam vel mihi frater erat.
99 O mea vel saevis lacrimanda piacula Parcís,
100 o mea vel Stygio facta pudenda Deo.
101 Quid faciam ? Quo fonte scelus, quo flumine tollam ?
102 Ni fluat e nostro flumine, fonte cruor.
103 Vota mori mea sunt, venias violate Sichaeae,
104 infelicem animam vulnere corde tuo.
105 Ut quos certus amor (dubium facit impius hospes)
106 junxit, in Elysiis una fides societ.
107 Tecum ego ferales infelix umbra per umbras
108 ducam perpetuas sed sine luce dies.
109 Sol qui terrarum flammis opera omnia lustras,
110 sparge coma extremam nobiliore diem.
111 Si tua dum sceleris furerent contagia primi
112 lumina praeradians occulere jubar ;
113 improba connubii forsán ne vincla viderent,
114 vincla catenatam quae rapuere animam ;
115 nunc mea dum sceleris delet contagia dextra,
116 testis honorato in funere Phoebe veni.
117 Tuque ensis, manibus dudum quem tracto malignis,
118 duritiem a Domino disce cruenta tuo.
119 Scilicet hunc linquit ? Danda haec sunt munera nuptis ?
120 Num timet ingratas ne gravet ille rates ?
121 Jam Mortis causam dederat, nunc tela ministrat,
122 non poteram telis sorte perire meis ?
123 Sed dedit, accipio, munusque in corde reponam,
124 nostra quid exhorres vulnera lenta manus ?
125 Ensis abi, in medio Aeneae stat cordis imago,
126 excute vulneribus signa scelestá meis.
127 Tuque pyra, immitis quam flamma Cupidinis ambit,
128 ure notas famae, pectoris ure faces.
129 Deficio ; jam saevit atrox a vulnere funus,
130 jamque graves oculos lurida Parca premit.
131 Ite aurae, Iliacam flabris impellite classem,
132 ito anima, indignans perfida ligna quate.
133 Didonem periisse sciat, periisse queratur,
134 dum gemet undantes per freta saeva rates.